



§. V.

2. Acidulae Hartwigswaldenses.

Modico dimidii circiter milliarii interuallo, itidem Euronotum versus, ab ante dictis acidulis distat fons quidam salutaris: qui forte ex communi priorum vena subterranea, prope ad arcem, in sylva sitam, in confiniis pagi *Hartwigswalde*, ad ditionem Saganensem quoque pertinentis, scatet, et quidem adeo largo profluvio, vt, vbi ex terra prodit, brachialis crassitudinis sit scaturigo k). Ob dicti pagi vicinitatem *Hartwigswaldenses* has dicemus acidulas. Ipsa, quam modo memorauimus, scaturigo, colligendae aquae caufsa, contignatione coercita est lignea, ad altitudinem decem pedum Rhenolandorum: quae vndique in maius stabilimentum opposita terra est praeuallata l). Paullo superius, vix ad quadrantem milliarii, in eadem ad Euronotum directione, scaturit fons ille limpidissimus, leuissimus, copiosissimoque elemento aereo plenus: quem sub nomine fontis indulgentiarum (*Ablasbrunnen*) iam pridem descripsit hic aliquoties memoratus MARTINVS FOERSTER m). Quidni existimemus, principem esse hunc fontem, qui ceteris istis vicinis aquis, *Hirschfeldenibus* et *Hertwigswaldenibus*, aqueum elementum, aereo acido foetum, per fin-

k) Haec ex relationibus saepe iam citatis.

l) Ibidem.

m) In dissert. allegas.

gulares

gulares canaliculos subterraneos impertit: quo in itinere abscondito fieri non potest, quin varia terrarum, minerarum, aut etiam salium strata harum aquarum fluenta contingent, horumque corporum moleculis impraegnentur. Atque hinc forte nostrorum acidularum orta est mistura: quam, quod nobis maxime aegre est, sola saepe iam *dictarum relationum* auctoritate describere atque definire possumus. Interim, cum saltem hinc appareat, maximam *Hertwigswaldensi* fonti cum ambobus Hirschfeldensibus intercedere conuenientiam atque similitudinem; siue externos saporis, leuitatis, limpiditatisque characteres species, siue internam elementorum mixtionem, per chemica examina exploratam: haud longe aberrabimus a vero, si, quae in Hirschfeldensibus deprehendimus, in praesentes quoque has acidulas conferamus. Sed accipitote nunc, lectores, ipsa verba, quae in dictis *relationibus publicis* exstant. Conuenit hic fons, inquiunt hi auctores, cum Hirschfeldensibus: praeterquam quod post euaporationem aquae *n*) tantummodo semigranum terrae insipidae calcareae remanet; quae, postquam cum vitrioli spiritu deferbuit, plus, quam in Hirschfeldensibus, magnatis cuiusdam insolubilis relinquunt. Admixtus violarum syrups colorem non mutauit *o*). Atque hinc concludunt, fin-

C 2 gulos

n) Sed quanam copia? tacent.

o) Forte non protinus; vt in Hirschfeldensibus: quae tamen ex Praefidis



gulos hos fontes, binos nimirum Hirschfeldenses, et hunc Hertwigswaldensem, ex subtilissimo spiritu minerali, terraque constare calcarea et martiali. Hinc etiam euidenti consecutione confici, vt has acidulas vnius eiusdemque efficacitatis aestimemus. Qua in sententia et nos sumus adquieturi.

§. VI.

3. Acidulae Falcobergenses.

Inter Yoteros Silesiae fontes, qui ex alcalino-martialium sunt classe, recensuit quoque primo statim loco clarissimus MARTINVS FOERSTER p) acidulas *Falcobergenses*, in Oppoliensi principatu, Nissam versus, sitas: quas, quoniam a prioribus, quos citaui, popularibus meis intactae sunt reliætae, nunc hic, adpendicis loco, breuissime ex adparatu *Strumpfiano* q) describam. Ceterum haud dissimulabo, vbinam locorum scateat hic fons? vtrum in ipso oppido *Falcomontio*? an in circumiecta dioecesi? me omnino ignorare cum ignarissimis. *Strumpfianis* r) enim

fidis experimento post aliquot horas viridescentem adquisuerunt colorem.

p) In prooemio *dissert. citat.*

q) De hoc confer. FRANCISCI KVRTZII *dissert. allegat.* §. I.

r) Hanc schedula ita inscribitur: *Untersuchung desjenigen mineralischen Wassers, welches mir von Falckenberg im Oppelschen nach Breslau geschickt worden ist.*